

« ad eam idoneum nondum adesset, cœperat enim « jam tunc primum Evangelium disseminare. » S. Bonaventura mortem Redemptori quadruplex insidiarum genus machinatum fuisse dicit. Primo ferro, quo ipsum Herodes e medio tollere statuerat, sed cum adhuc fasciis obvolutus in cunis jaceret; sed vane et incassum id fecit. Secundo per præcipitum, prout in Evangelio presenti; sed irritum etiam effectum. Tertio per lapidationem, prout moliebantur Judæi Hierosolymis facere. Quarto per crucifixionem et hoc mortis genus ab ipso electum sibi quæ gralum erat; siquidem dixit: *Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.* Beda dicit Christum in hoc facto demonstrare voluisse, quod spontaneæ mortem subiret: « Intellege non ex « necessitate fuisse, sed voluntariam corporis passio- « nem; nec captum a Judæis, sed a se oblatum, ete- « nim quando vult capitur, quando vult elabatur, « quando vult suspenditur, quando vult non tene- « tur. »

5. — Lucas Brugensis dicit Christum illis tem-  
pus indulgere voluisse ad respiciendum: « Quin « etiam malebat adhuc Judæos sanare quam per-  
dere, ut inefficaci furoris exitu desinerent velle, « quod implere non possent. »

6. — Didacus Stella ad nostram doctrinam hoc  
loco Christi prudentiam admiratur: « Christus « docet, ut adversariis nostris cedamus, et iræ, et « malitiæ illorum locum demus, ut Paulus docet, « ne amplius eos ad iram lacessamus, cum inflam-  
mati et accensi sint; » unde quod se subdixerit et  
absconderit, non ignavia, sed laudis et gloriæ potius  
signum est, id quod sequenti similitudine explica-  
tur: « Velut qui a leone et urso saucius fugit, non « ignominia illi est, sed potius magna prudentia. »

7. — Beda rupem quandam per medium super-  
naturaliter divulsam fuisse scribit, ad hoc ut Salva-  
tori nostro congruum posset transitum indulgere: « Illi cedente petra et ipsum suscipiente, ut illi ad « eum non possent attingere. » S. Antonius de  
Padua pariter ait: « Nota quantum ad litteram, « quomodo rupes divisa est in duas partes et cessit  
« Christo, cui dura corda cedere vel acquiescere « noluerant. » Historicus quidam Terram sanctam  
describens foris extra Nazareth ad partem Australem  
locum quemdam esse scribit ab urbe ad qua-  
druplicem sagittæ jactum distantem, qui *Saltus  
Domini* antiquitus dicebatur, ubi Judæi Salvatorem  
præcipitem agere tentarunt: « Sed extens e mani-  
« bus eorum, statim inventus est in latere montis  
« oppositi, ad jactum arcus et oculo videntur cla-  
« rissime corporis illius lineamenta ac vestigia lapidi  
« impressa. » Adrichomius idipsum in *Theatro* scri-  
bit, cum de tribu Zabulon sub num. 84 scribit,  
Lucas Brugensis ait: « Potuissent sane vel hoc solo  
« miraculo commoveri ad ipsum suscipiendum, « nisi saxis duriores se præbuisset. »

8. — Ipse Dominus utique potuisset efficere, ut  
quod ipsi machinabantur præcipitum, super ipsum  
reapse recideret; efficiendo ut rupes ista sub eorum  
pedibus deliceret, sicut hæc rupes ad Salvatorem  
recipiendum divisa fuit; at vero, ut Lyranus inquit: « Non fuit percutiens illos, aut impellens, nec ali-  
« quo modo se vindicans in hoc docens prædicatores  
« Evangelii, ut non querant vindictam de injuriis  
« sibi factis. »

9. — S. Antonius de Padua, *Serm. in hac fer.*,  
ait: « Hoc Christus nunquam fecit, quia declinando  
« ipse per medium nostrum transit, per medium  
« inquam nobis indignis beneficia ministrando: «  
« *Ego autem, inquit, in medio vestrum eum, sicut qui  
« ministrat; sed timendum ne transeat per medium  
« judicando, separando scilicet in morte animam a  
« corpore, corpus verbum, animam ignibus et tor-  
« mentis deputando, donec, ut ait Bernardus, infir-  
« lici consortio conjungantur acrius puniendo. »*

10. — Didacus Stella duo alia documenta mora-  
lia tangit, dum ait: « Deus quandoque aliqua nobis  
« superabit, quorum occasione labi possemus, quod  
« consilio modo Nazarenis suam presentiam sub-  
« trahit, ne graviter delinquerent. »

11. — Alterum documentum est: « Docet locus  
« iste, Deum a nobis non abire, nisi nos ipsum  
« flagitiis nostris a nobis removeamus, quod in istis  
« videmus, apud quos manebat et docebat, et  
« mansit, donec illos expulerunt. »

*Per medium illorum ibat.*

12. — S. Bonaventura verbum *medium* conside-  
rans, dicit: « Per medium vadit, quia mediator Dei  
« et hominum semper diligit medium; unde: «  
« *Medius vestrum stetit, quem vos nescitis. »*

13. — Cajetanus in ea est opinione, quod  
Christus mox ut ad montis verticem pervenit, omni-  
bus illis se invisibilem reddiderit, ideoque postea  
libere per medium ipsorum sine periculo transie-  
rit: « Ivi quo voluit, remanentibus istis delusis, ut  
« vel sic occasionem respicientiæ haberent. »

14. — Albertus Magnus ait: « Ibat invisibilis  
« eis, percussis enim sunt acrisia; » datque exem-  
plum in Sodomitis illis, qui fores Lothi venire non  
valebant. Dionysius Carthusianus exemplum hori  
adducit, ubi omnes mox ut dixit: *Ego sum*, velut  
extra se positos in terram prostravit. Albertus  
Magnus igitur rem hanc ita prosequitur: « Dicitur  
« autem quod de monte descendens mox sedens  
« sinum fecit et eum in se recepit, ita ut usque  
« hodie vestigia vestimentorum et pedum appa-  
« reant in lapide. *Prov.*, xii, 13: *Effugiet justus de  
« angustia. »*

15. — S. Bonaventura verbum illud, *Ibat*, ita  
exponit: « Ad ostendendum, quod non fuit volen-  
« tia vectionis; subditur, *Ibat*; scilicet propria vir-  
« tute, sicut animalia, de quibus in Ezechiele dici-

« tur, quod ibant et revertentur. Ibat scilicet in  
« præcepis, se descendebat. » Lucas illud hæc ver-  
bis ad virum exprimit: « Ibat illesus, securus,  
« intrepidus sine vi, sine fuga, sine festinatione,  
« servata grossus gravitate, quasi non inter medios  
« hostes constitutus, hæc enim vis verborum est,  
« evasit ab eis ita libere, ut ipsimet nescirent, quo  
« pacto e manibus eorum elaberetur, an constrin-  
« geret ipsorum manus, an oculos percuteret, an  
« stupefaceret mentes et corda. »

16. — Ecce igitur quantopere verum sit, quod  
*Expectat Dominus ut misereatur vestri*; tunc enim

quando vel maxime ad se vindicandum manum  
suam extendere debet ad justitiam, ut impius et  
sacerilegos illos perderet, ipse de eorum salute vel  
maxime sollicitus fuit. Hugo Cardinalis proinde ait:  
« Illorum mente mutata, vel subito obstupefacta  
« descendit, quia adhuc illis penitentiam reser-  
« vat. »

17. — Idem purpuratus Doctor in sensu morali  
dicit: « Per medium præcipitantiū itur per con-  
« siliū maturitatem. *Prov.*, xiii, 16: *Astutus omnia  
« agit cum consilio; per medium lapidantiū itur  
« per mansuetudinem. »*

FERIA TERTIA POST TERTIAM DOMINICAM QUADRAGESIMÆ

EVANGELIUM MATTHEI, CAP. XVIII, VERS. 15

15. Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripue eum, inter te et ipsum solum.

16. Si te audierit, lucratus erit fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhuc tecum  
adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum.

17. Quodsi non audierit eos, dic Ecclesiæ; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut  
ethnicus et publicanus.

18. Amen dico vobis, quæcumque alligeritis super terram erunt ligata et in cælo, et  
quæcumque solveritis super terram erunt soluta et in cælo.

19. Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re  
quæcumque petierint, fiet illis a Patre meo qui in cælis est.

20. Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.

21. Tunc accedens Petrus ad eum dixit: Domine, quoties peccabit in me frater meus, et  
dimittam ei? Usque septies? Dixit illi Jesus: Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies  
septies.

VERSUS 15.

*Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripue eum  
inter te et ipsum solum.*

*Si peccaverit.*

1. — Inter sacros Interpretes non satis convenit,  
de quali offensa vel culpa Dominus nosler hoc loco  
loquatur. Inferlinearis legit: « Si injuria vel conta-  
« melia affecerit. » S. Anselmus pariter ita exponit:  
Quasi dicat: « Noli contemnere pusillum, sed si  
« peccaverit in te faciendo tibi injuriam, labora  
« adeo de salute illius, quod prius corripias per te,  
« postea per alios. » Jansenius eandem opinionem  
afferit. SS. Augustinus, Hieronymus et Chrysostomus  
quoque hanc opinionem majorem probabilitatem  
habere existimant; siquidem postquam S. Petrus,  
*Matth.*, xviii, 12, Christum interrogasset: *Quoties  
peccabit in me frater meus et dimittam ei?* Christus  
protinus parabolas de decem millibus talentorum,  
ad injuriam remissionem ordinatam subnexuit.  
Hæc quoque opinio ex textu S. Lucæ deduci posse

videtur, ubi dicitur: *Si peccaverit in te frater tuus,  
inrepa illum et si penitentiam egerit dimitte illi;*  
« cui læso, » inquit Jansenius, « duplici sane  
« nomine, præ aliis, convenit frater peccantis et  
« lædenti eum correptio, nimirum tum quod ei  
« fratrum peccatum est notius, ac ipsum magis  
« urit, tum quod ejus fraterna admonitio effecit  
« possit esse apud eum, qui læsit, cum viderit  
« etiam illum salutis tuæ studiosum, cui injuriam  
« intulit. » Ecce tibi quousque charitas Christiani  
hominis pertingat, ut etiam injurias beneficiis com-  
penset; Senecæ sententia est: « Si magnanimitas  
« fueris nunquam judicabis tibi contumeliam fieri.  
« De conviciante dices: Animum nocendi habuit,  
« mihi non nocuit; » et quidem si illatam nobis  
injuriam non solum æquanimiter toleraverimus,  
verum insuper solliciti fuerimus de salute illius, qui  
nos offendit, animamque ejus lucrati fuerimus, in  
tali casu injuriam nobis minime nocuisse, quan-  
tumvis atrox fuerit, inferius monstrabimus. *Lucratus  
eris fratrem tuum.*

2. — Alia opinio, quæ etiam multos habet sec-

tatores, dicit verba illa intelligenda esse de peccato, quod vere est offensa et injuria facta Deo; Lucas Brugensis ait: « Sub peccato in te commissio, quod vis peccatum intelligi vult, in Deum aut proximum commissum, cuius tu conscius sis, nec sit omnino publicum; neque enim solum de omni offensa Deo illata dolere debemus, sed in omnibus peccatis militat idem motivum et ratio lucrando proximum. Imo major nobis zelus habendus est pro injuria Deo illata, quam pro ea quae illata fuit nobis, eo quod propter illam frater noster majus vulnus accepit, magisque de salute periclitatur. Pro hac opinione habemus S. Thomam cum omnibus Scholasticis, II, q. xxxiii. Suarez, de Religione, lib. X, cap. vii, num. 11. Ratio autem quam Jansenius pro hac sententia affert, est: « Quod correptio ista fratris non tantum sit adhibenda, cum quis in nos peccavit, sed multo magis cum in Deum, tum quod non tantum laesus fratrem ledentem corrumpere debet, sed et alius quisque qui conscius est injuriae, quam quis patitur, multo magis alius quam laesus, ne videatur iste propriam injuriam prosequi. »

#### In te.

3. — S. Anselmus hanc ultimam opinionem adducens, qualiter illud vocabulum *in te*, intelligendum sit, his verbis declarat: « Hoc est publice, omne enim publicum peccatum, contra unum quemque dicitur fieri, quia, publice peccans, proximum suum corrumpit. » Jansenius, *cop. lxxii concord.*, ait: « Intelligit illud in te, coram te, vel te conscio, te presente atque vidente. » Idem namque est peccare in aliquem, quod dare illi scandalum, vel quod Deum in proximi presentia offendere: « Quia ita Christianus quisque debet esse addictus gloriae Dei et dilectioni proximi, ut omni peccato ostendatur tanquam in se commissio, etiam si non directe in ipsius vergat laesionem aut injuriam, sed in injuriam Dei aut proximi conjungitur. » Syriaca loco verbi *peccaverit*, legit *erraverit*. Quisquis enim injuriam Deo infert, nobis pariter contumeliam inurit, qui sumus et nominamur filii ejusdem Patris: *Pater noster*. Praeterquam quod S. Paschasius dicit: « Majorum injuria, minorum est opprobrium, » et ideo non solum pari, sed etiam ferventiori zelo perseguenda nobis est offensa Deo facta, quam quae nobismetipsis facta fuisset; at vero, de quo S. Hieronymus graviter lamentatur, omnino contrarium a nobis sit: « Non enim in Dei injuria benigni sumus, in nostris contumelias exercemus odia. » Didaeus Stella, *in c. xvi Luc.*, illud *in te*, ita exponit: « Id est, te sciente peccatum alterius. » Qualecumque enim peccatum aliquod sit, contra nos semper est, quia in damnum nostrum militat; unde Abulensis ait: « Quicumque peccat, malum nobis infert, » quia peccatorum participes sumus, licet culpas detestemur.

4. — Hugo Cardinalis, *in c. xvii Luc.*, verba illa exponit in ordine ad malum exemplum vel scandalum: « Id est, contra te, ait, malo suo exemplo; » S. Bonaventura ait: « Dicitur peccare in nos, » quando non solum in personam nostram, sed etiam nobis presentibus peccat, » adducitque locum quemdam ex S. Augustino, *Serm. xvi, de verbis Domini*, ubi dicit: « Peccat frater in nos, si etiam nobis scientibus peccat, quia quantum in eo est, exemplo nos corrumpit, quos testes iniquitatis efficit. »

5. — Cajetanus de offensa privata intelligit. « Ad differentiam peccati in alium, nam peccatum contra te, tuum est condonare. » S. Antonius de Padua, *Serm. in hac fer.*, tres illius modos considerat: « Uno modo si tibi aliquam offensionem intulit, vel personae, vel rerum temporalium; alio modo scandalizando malo exemplo, tertio, dum utroque modo. »

#### Frater tuus.

6. — Lucas Brugensis legit: « Christianus, nec enim hic intelliguntur ii, qui foris sunt, id est, qui christiana, veraque a nobis religione discrepant. » S. Bernardinus autem verbum istud ad quemvis peccatorem extendendum esse putat. « Plane nomine fratris omnis homo, etiam peccator intelligi debet, sive aequalis, sive minor, sive etiam major sit ille, quia ex uno Patre Deo creati, quia ex uno patre Adam generati, atque ex uno Patre Christo regenerati et redempti sumus. »

7. — Titulus hic *fratris* charitatem et amorem excitare debet in cordibus nostris, id namque Deus a nobis exposcit, ut tametsi graviter a proximo offensi simus, inimicum tamen vere fratrem nostrum esse agnoscamus. Unde idem Sanctus ait: « Ponitur potius nomen fratris, quam hominis aut peccatoris, eo quod frater nomen est charitatis et amoris, quia ex uno Patre creati et regenerati sumus, ideo correctio fratris ex radice procedere debet charitatis. »

#### Vade.

8. — Vult dicere, non esse nobis curandum, si pro illius adimplentione molestiam vel incommoditatem aliquam subire debeamus, unde ire debemus in propria persona, nec differendum, id est, aut expectandum, donec in nobis occurrat; vult enim Deus in nobis videre sollicitudinem et curam, quam pro hoc charitatis officio adimplendo habemus, quodque opus illud nulla interposita dilatione tradatur, ne forte vulnus illius profundius aut amplius proserpat: « Malum enim cum perseverat, augeatur, » inquit Cassiodorus, « et remediabile bonum est in peccatum accelerata correctio. »

9. — S. Antonius de Padua verbum illud *Vade* dupliciter intelligi posse scribit: « Uno modo ad

« litteram: Vade, et corripere, » citatque Chrysostomum dicentem: « Vade ad eum, qui ad te venire revercuntur. » Idem quoque monitum Lucas Brugensis his verbis tradit: « Non expectes, dum prior ipse ad te veniat, culpamque agnoscat, sed quaeras ipse opportunitatem. Alio modo dicit vade, ad designandum quid debeat te movere, quia charitas ista debet reportare et utilitas vade, id est, deliberate et procleriter correctionem aggredere, non praecipitanter, nec obiter et cursitando fiat, sed procedatur potius passibus maturitatis et charitatis, quam fervoris et zeli indiscreti. »

10. — Hugo Cardinalis ait: « Non solum per scriptum corripere, quia, ut dicit Hieronymus, nescio quid latentis energiae vitae vocis actus habet; » adducitque dictum quoddam S. Ambrosii, super illa, *Psal. cxviii, 74*, verba: *Qui timent te, videbunt me et letabuntur*, ita dicens: « Plerisque quasi aspectus admonitio correctionis est, perfectioribus vero letitia est. »

11. — At vero quid si is, qui correctionem recepturus est, nobis vicinus existat, quid in tali casu agendum erit? Numquid etiam tunc verbum hoc *vade* in executionem miti poterit? « Sed si prope est, aequaliter ibo? » inquit Albertus Magnus, « vade duobus pedibus, compassionis et charitatis, tunc enim non indignabitur, corripere eum. »

12. — Cajetanus hunc textum de injuria particulari exponens, ita commentatur: « *Vade*, non expectes ut veniat ad petendum veniam a te, aut prius ipse veniat ad te, aut ut obviet tibi, sed tu vade. » Hugo Cardinalis ait: « *Vade*, ut noverit te compati sibi et sollicitudinem habere erga se. » Porro videri cupiam poterit sufficere, si qui offensus est, injuriam acceptam remitteret, nec opus esse, ut insuper onus hoc grave imponeretur, ut eum qui injuriam intulit conveniens, debitam per correctionem ad respiciendum permoveat et tamen Christus non sine mysterio ita disposuit, dicens: *Vade, et corripere eum*, quia talis tunc evidens signum edet, quod odium in ejus corde non regnet, si se sollicitum esse ostendat pro salute animae illius, qui eum offenderat, quia per hoc charitatis officium odii venenum e corde inimici sui eradicare et lethalem ejus infirmitatem integre sanare possit, *lucra-tilis eris fratrem tuum*, ideo si id facere contemneret aut negligeret, satis aperte se charitatem non habere, nec reconciliari curaret, nec zelo praeditum se esse ostenderet, alienae salutis, illarumque animarum, quas Dei Filius tam caro pretio sibi comparandas, eas duxit. Optime igitur nos monet S. Augustinus, *Serm. xvi de verb. Dom.*, dum ait: « Quando ergo in nos aliquis peccat, habemus magnam curam non pro nobis, nam gloriosum est injuriam obli- » visci, sed obliviscere injuriam tuam, non vulnus visci tui. »

#### Corripere eum.

13. — Lyranus distinguendo clare ostendit, de quaenam correctione Christus in hoc Evangelio loquatur; utique non de illa, quae ordinatur ad puniendum delinquentes pro satisfactione justitiae publicae. « Talis non pertinet ad singulares personas, sed ad judicem; » illa vero quae ad propositum nostrum spectat, ea est: « Quae ordinatur ad fratris peccantis emendationem, et haec est actus charitatis; et pertinet ad omnes, quia sicut dicitur in Ecclesiastico: *Unicuique mandavit Deus de proximo*; et ideo sicut quilibet tenetur proximum ex charitate diligere, ita tenetur defectus ejus charitative ad emendationem ejus corrigere. »

14. — Porro praecipitum hoc corrigere proximum divinum esse ex verbis Christi clarum est, quod vero insuper naturale sit, ex illo Apostoli textu, *I Cor. xii, 23, 26*, deducitur, qui ait: *Pro invicem solliciti sunt membra; si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra*. Laeso enim pede, oculus se applicat ut vulnus exploret, manus vero, ut medicinam ei adhibeat, ingenium quoque ad preparandum huic effectui proportionatum unguentum laborat. *Ephes., iv, 4: Unum corpus et unus spiritus, sumus invicem membra*. Chrysostomus, *Hom. xxiii in I ad Cor.*, ait: « In corpore lametis pes vulnus accipiat, humi declinet, namus caput inclinans. Caput inclinatur, quando pes infirmatur, ita dum unum membrum, id est, proximus habitus ab alio membro corripitur, Virga Moysis in terram projecta, in serpentem transmutabatur, ad denotandum quod quando non habetur ratio correctionis, nunc vel maxime peccati serpens ulterius serpendi locum per amplum habeat. Unde id quod Deus serpenti dixit: *Ipsa conteret caput tuum*, Hugo Victorinus non de muliere, sed de correctione interpretatur: « Caput, » inquit, « serpentis conteritur, quando peccatum tibi corrigitur, ubi nascitur. »

15. — Cum universa lex Evangelica in charitate fundetur, praecipitum istud pariter in hac virtute suam radicem defixam habet. Paulus de Palatio dicit: « Si jubeatur cibum, potum, vestem, proximo indigni porrigere, quanto potius jubebimur eum a peccato, si possumus, liberare. » Lucas Brugensis excellentiam quamdam tangit, quam correctio obtinet supra elemosinam: « Praecipit correctionem fraternam, actum virtutis charitatis, eo praestantiorum elemosynarum, quae praestantius fratris bonum nititur reparare laesum. Praecipit praecipitum affirmativo; quod quidem semper obligat, sed pro personarum, loci, temporis, finis et ceterarum circumstantiarum opportunitatem. »

16. — S. Thomas super haec verba scribens quaerit: « Numquid peccat, qui habet correctionem omittit? » Et eum S. Augustinus respondet: « Si

« non corripis, peior factus es tacendo, quam ille peccando; » id quod etiam Seneca agnovisse videtur, dum ait : « Amici vitia si feras, facis tua; cum his conversare, qui te corrigant. » S. Thomas amplius eum rem esse existimat, qui ab hoc officio ob respectum humanis desistit : « Si desistis, » inquit, « ne laedaris in temporalibus, ne molestia tibi accidat, vel huiusmodi peccas. »

**17.** — Deus ipsemet circa huius præcepti adimplentionem talem sollicitudinem gerit, ut ne ab illius adimplentione nos seducamus et ne exosum illis efficiatur, circa quos exercendum venit, Deus ipse in pluribus Scripturæ locis se, ut ita dicam, reprehendi velle insinuat. In Job, vi, 24, dicit : *Docete me, et ego tacebo, et si quid forte ignoravi, instruite.* In Isaiâ, i, 18 : *Arguite me, dicit Dominus.*

**18.** — Enimvero ad hoc ut præceptum istud obliget, multas necessum est concurrere circumstantias. Et quidem recentior quidam Theologus, Becanus, lib. III, cxi, S. Thoma, aliisque pluribus Doctoribus præeventibus, conditiones quasdam necessarias breviter adducit : « Primo si certo aut probabilem scias proximum peccasse. Secundo, si non resipuerit. Tertio, si sit spes resipiscendi. Quarto, si indigeat correctione. Quinto, si non sit alius, a quo commodius corripiatur. Sexto, si sit occasio corripiendi. Septimo, si peccatum ipsius sit mortale, aut periculosum veniale. »

**19.** — Cajetanus ad huius præcepti executionem non omnes obligari advertit, dum ait : « Ad hoc non tenentur omnes semper, sed pro loco et tempore, quando scilicet vacat, et licet, et credit quod sua correctio sit utilis ei, qui corripitur. » Idem quoque casus nonnullos excipit, in quibus nulla est correctionis obligatio; quorum primus est, quando in corrigendo nulla est spes emendationis; secundus est, quando dubium est, an delictum probari possit, dum processus aliquis criminalis instituitur. Tertius est, quando peccatum suo Superiori tanquam Iudici est manifestum. Quartus, si quis alteri operi æqualiter bono vel meliori actualiter sit applicatus. Quintus : « Cum multitudo vel potestas est in culpa, » ubi correctio plus noceret, quam prodesset Ecclesiæ. »

**20.** — Denique conditiones, quibuscumque hoc charitatis officium est exequendum, multe sunt, eoque valde considerabiles. In libro Job, v, 27, scribitur : *Eccc hoc, ut investigavimus, ita est; quod auditum, mente pertracta.* Præcedat igitur diligens quædam et accurata circa peccatum proximi informatio et postea deliberet de modo illum corrigendi, et præcipue examinanda est conscientia nostra, an scilicet ad eam faciendam moveamur ex passione, an vero ex zelo et charitate; nam ut S. Augustinus ait : « Nunquam alicui peccati oburgandi suscipiendum est negotium, nisi cum internis interrogationibus examinantes nostram

« conscientiam, liquido nobis coram Deo respondeamus dilectione nos facere. »

**21.** — S. Bonaventura in Lucam, ubi de correctione a Christo nobis præscripta agit, advertit, quod « ista increpatio non debet venire ex ira, sed ex clementia, non ex libidine vindictæ, sed ex amore justitiæ. » Porro inter alias circumstantias, quæ a bona correctione deficiunt, una est, quam Hugo Cardinalis tangit, dum ait : « Si non ex charitate et compassione corripiat, sed malitiose et derisione, sicut Cham. *Genes.*, ix, 22. » In sacris canticis dentes Sponsæ gregibus ovium comparantur, quæ ex aquis lotæ et mundæ egrediuntur, *Cant.*, iv, 2 : *Dentes tui sicut greges tonsurarum, quæ ascenderunt de lavacro;* enim vero per hosc Sponsæ dentes correctiones intelliguntur, hæ enim ut plurimum mordent et sensui displicent. Sciendum igitur est, quod inter alias ovium conditiones hæc una sit, quod herbas quas depascunt, non perdant, imo vero easdem viventius germinare faciant et fecundiores efficiant; tales pariter dentes, id est, animæ cujusdam justæ et perfectæ correctiones esse debent; curandum enim est, ne is, qui correctus est, offendatur, sed potius easdem gratias habeat, indeque proficiat; qui autem illam executus est, vigilanter attendere debet, ut ejus, qui reprehenditur, bonum nomen, bonamque famam conservet. Vel etiam, et est secunda conditio, dentes qui mordent, candidi, mundi et loti esse debent. Unde Gilbertus Abbas, *Serm.* xxiii in *Cant.*, ait : « Videtis quomodo lotos et irreprensibiles esse oportet eos, qui aliorum excessus debent remordere et corrigere. » Moysi pro primo signo commissi sibi a Deo regiminis populi sui, virga data fuit, pro secundo vero manus leprosa, *Exod.*, iv, 8 : *Si non crediderint, neque audierint sermonem signi prioris, credent verbo signi sequentis,* et tamen ipsi hoc secundo signum usum aliquando fuisse nullibi invenimus, non obstante, quod quoad primum signum subinde titubarint; et ratio est, quia illam *probitul leprosam instar nivis;* ex quo cognovit, quod ut manus illa, quæ sceptrum domini et regiminis sustinet, aliosque reprehendere debet, fructum faciat, munda et nitida sit oporteat. S. Bonaventura observat, quod sapientissimus Magister noster, priusquam in S. Luca præceptum correctionis instituit dixerit : *Attendite vobis,* et postea subjunxit : « Si peccaverit, etc., quasi diceret, prius debetis « circa vestram correctionem invigilare, quam « circa peccata proximi, » adducitque illum Actuum Apostolorum, xx, 28, textum : *Attendite vobis, et universo gregi, in quo, etc.* « Hic autem ordo est « necessarius, ne forte dicatur intendenti correctioni alienæ et negligentium suam, illud : *Qui alium « doces, teipsum non doces?* » Corripiet me justus in misericordia et increpabit me, inquit in Psalmo cxi, 5, regius Propheta David. David auditio flagitioso filii

sui Ammon incestu, contristatus quidem est, sed filium non castigavit, aut punivit, neque illum prouti conveniebat, reprehendit, eo quod ipsemet paulo ante grave illud adulteri facinus commisisset et quia in eodem cum scandalo publico continuaverat, os suum ad filii scelus reprehendendum aperire non presumpsit, eo quod eadem pie turpiter inquinatum esset. Hugo Cardinalis ad idem propositum textum illum Evangelii adducit : *Quomodo dicis fratri tuo sine ejiciam festucam de oculo tuo et ecce trabs est in oculo tuo? Hypocrita ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui.*

**22.** — Celebre est illud Apostoli ad Galatas, vi, 1, traditum consilium : *Præterea, etsi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis.* S. Bernardinus de Senis, tom. II, *Serm.* xxviii, in duobus diversis locis verbum illud *corripere*, ponderat : « Si vim huius termini, *corripere*, voluerimus ponderare, nihil aliud indicare videtur, nisi cor peccatoris a malo ad bonum subito rapiendo mutare; dicuntur enim rapi, quæ subito auferuntur, sicut si ignitus carbo super propriam vel proximi ceci disset vestem, rapere eum et subito auferre solet; cito cor fratris a malo ad bonum transferatur, cum ei turpitudinis suæ culpæ et pulchritudo divinæ gratiæ demonstratur, quod fraterna correctione evenire contingit. » In alio vero loco scribit, quod *corripere* idem sit, quod *cor rapere* : « Considera bene istud vocabulum, *corripere*, quod idem est, quod *cor rapere*; quemadmodum si filius tuus cadit in ignem, tu subito extrahis eum, quia officium charitatis est subito sublevare cadentem, et corde rapere eum de igne inferni. » Leonis Magni sententia est : « Plus erga corrigentem agat benevolentia, quam severitas; plus cohortatio, quam commotio; plus charitas, quam potestas. » Christus ipse, qui alias dixit : *Discite a me, quia mitis sum,* nihilominus data occasione *exprobravit incredulitatem eorum et duritiam cordis, quia his qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt.* At vero quis inter Apostolos nolendo credere obstinator fuit S. Thoma? et tamen quanta cum charitate et benevolentia eum ad fidem perduxit resurrectionis! Ecce tibi inter reprehensionem Apostolorum et S. Thomæ correctionem magnam differentiam; illa namque pluribus personis in genere facta, præligurabat istam, quæ fit publice, dum prædicatio Evangelica populo ministratur, quæ proinde efficax esse debet, ut terrore incutiat; non vero sic correctio fraterna, quæ fit homini in particulari, hæc enim *in spiritu lenitatis fieri debet.* Seneca etenim de homine scribit, quod « mollem medicinam desiderat. » Consolatoria proinde sunt illa S. Apostoli Verba, *Gal.*, vi, 1, dicentis : *Considerans teipsum, ne et tu teneris;* neque enim aliquæ dari potest infir-

mitas in uno homine, quæ alter quoque obnoxius esse non possit, nisi Deus illum preservaret, quod idem pariter quoad malum culpæ asserere possumus; ac proinde optimum est illud S. Augustini monitum, *lib. II de serm. Domini in monte*, dicentis : « Pie cauteque vigilandum est, ut cum aliquem reprehendere vel oburgare nos necessitas cogegerit, cogitemus utrum tale sit vitium, quod nunquam habuimus, vel quo jam caruimus; et si nunquam habuimus, cogitemus et nos homines esse et habere potuisse; si vero habuimus et non habemus, tangat memoria communis fragilitas, ut illam reprehensionem aut oburgationem, non odium, sed misericordia paduam. »

**23.** — S. Antonius de Padua, *Serm.* in hac feria, similitudinem adducit chirurgi alicujus, qui vulneribus semper superimponere solet remedia lenitiva, quia si illa exasperativis obduceret, eadem denuo sanie et putredine reimpleret, quæ tandem ipsam cordis regionem petitura esset : « Sic quando videmus hominem impatientem, non debemus exasperare et ipsum corripere, quia tunc peccatum ad interiora trahitur, dum scilicet sit correctus pertinax efficitur et impatienter suum defendit peccatum. »

**24.** — Chirurgus, priusquam patienti venam aperiat, brachium illius fascia serica, vel ligaculo rubeo arte et fortiter constringit, ut venam se proderet faciat, cui itam infingere parat. S. Gregorius, *Hom. xxii in Ezech.*, considerat, quod dum Joseph fratribus suis sui venerationem ab illis crudeli animo factam ob oculos posuisset, mox eodem tempore sui erga eos amorem teneritudinem in copioso quem effudit fletu ostenderit : « Ecce hoc est magisterium disciplinæ, ut culpis et discrete noverit parere, et pie ac prudenter resocare. » Prudens et expertus chirurgus ferrum abscondit, quo seare aut pungere intendit, sequè vultus tantum palpate et mollire velle simulat et quando infirmus letum minime expectat, tunc illum infligit, efficitque hæc ratione, ut pena minus sentiat. Quam incurabile erat vulnus illud Judæismi, qui mortis et crucifixionis Filii Dei reus erat; et tamen S. Petrus, licet illos illum probe cognovisset nosset, dixerunt enim, *Matth.*, xxviii, 38 : *Hic est hæres; venite occidamus eum;* et, xxvii, 54 : *Vere Filius Dei erat iste;* nihilominus ut illos Evangelio acquireret, fratres illos appellare non dubitavit, *Act.*, iii, 17 : *Et nunc fratres scio, quod per ignorantiam fecistis, sicut et Principes vestri; penitentiam igitur, haecque ratione attracto ad se rete, aliquot animarum conversarum millia, cepit : « Dulciter eos alloquitur, » inquit Lyranus, « ut verbum Dei magis recipiant. »*

**25.** — S. Antonius de Padua monet cante quoque advigilandum esse, ne dum eradicare zizaniam contendimus, per zelum indiscretum frumentum quoque electum stirpitibus evellamus : « Quia tunc

« non præmiabitur ut corrector, sed punietur ut « destructor; » adductique textum quendam Exodi, xxii, 6, ubi dicitur: *Si egressus ignis invenerit spinus et comprehenderit acervos frugum, sive stantes segetes in agris, reddet damnum qui ignem succenderit; ubi per ignem zelus intelligitur, qui cum est discretus, zizania comburit, dum vitium corrigit et emendat; at vero quando zelus ille indiscretus existit, nonnunquam etiam frumentum succendit virtutis illius, quam invenit. Quoniam superavit mansuetudo, inquit David, et corripiemur. Ps. LXXXIX, 10.*

**26.** — Odiosum valde est officium corrigendi alios, idque tanto magis, quia constat quod veritas odium parit; naturaliter enim laudes amamus, non vero reprehensiones; et tamen, ut bene S. Ambrosius, *lib. II de off.*, advertit: « Et si amaritudo « correctionis animam amici vulneret, tu tamen « corripere non verearis; » sicut enim si aliquod infirmo subministras remedium, quo mediante is sanitati pristina restitueretur, tametsi id illi invito dedisses, firmiter tamen tu illum tibi per gratitudinis obligationes adstringeres; ita quoque res se habet et quidem longe magis, ubi de restituenda et procuranda animæ salute agitur; ac proinde Christus non sine ingenti mysterio correctoribus amplissimum quoddam præmium et remunerationem excessivam promisit: *Lucratus eris fratrem tuum.*

**27.** — Lucas Brugenensis de injuria in particulari nobis facta interpretatur, quæ non solum nulla ratione vindicanda a nobis est, verum etiam inenimbit nobis, ut inimico nostro per benignam correctionem beneficiamus: « Non tantum non lædendum « tibi eum, qui te læserit; verum etiam magnam « curam salutis illius gerendam tibi asserit, ut a « peccati morte ad justitiæ vitam ipsum revoces. »

*Inter te et ipsum solum.*

**28.** — « Et quare? » inquit S. Thomas, *in Matt.*, moxque respondet: « Quia ista correctio fit ex charitate, charitas autem est amor Dei et proximi; si « amas, debes salutem ejus diligere. » Duos autem modo præscribit, per quos in hoc officio circumspicere procedere debemus: « Attendenda conscientia et bona fama; » bona enim fama proximi nostri omnino salvanda nobis est, idque fiet, si eum inter te et ipsum correxeris: « Si ante omnes corrigis, famam ejus tollis; tamen conscientia præponenda est famæ. » Et ideo quando crimen commissum est publicum, correctio etiam aliquando publica sit oportet: *Peccantem coram omnibus argue;* prout S. Joannes Baptista quoad Herodem fecit, eo quod incestus cum Herodiade commissus omnibus fuerit manifestus.

**29.** — S. Anselmus reddit hanc rationem: « Corripe privatim, ne potius videaris alieni criminis proditor quam corrector. »

**30.** — S. Hieronymus aliud quoddam motivum

in medium affert, dum ait: « Corpiendus est frater seorsim, ne si semel pudorem et verecundiam « ter scilicet romanæ in peccato. »

**31.** — S. Augustinus, *Serm. xvi de verb. Dom.*, ait: « Studens correctioni, parens pudori, forte « enim præ verecundia incipit defendere peccatum « suum, et quem vis facere correctiorem, facis « pejorem. » Hæc quoque Chrysostomi, *Hom. lxi in Math.*, consideratio fuit dicentis: « Ne testimonio « multitudinis graviore acensatione visa, dedignatus ille duriores se ad corrigendum præbeat. »

**32.** — Cajetanus hunc modum privatim corripiendi præcipi dicit, ut correctus ex viso hoc modo et dexteritate personæ corrigentis, agnoscat illum ad hunc actum nullo alio moveri motivo, quam solus amoris et charitatis: « Ut ex modo monendi « percipiat qui offendit, charitatem monentis; si « enim coram aliis incipis monere, existimabit qui « corrigitur, quod tuo studeas honori aut illius « confusioni, aut, quod vindictam scilicet exerceas; et « ubi inter te et ipsum solum verba salutis ejus « sola fundantur, soli charitati rationabiliter attribuitur monitio. » Hanc eandem observationem Jansenius adducit, dum ait: « Cum enim quis « videt alium suæ salutis ac simul famæ consulere, « efficaciter sane commoveatur ad peccati sui agnitionem et detestationem, idque eo efficacius, si « fiat ab eo quem læsit. »

#### VERSUS 16.

*Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum, si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum.*

*Si te audierit, lucratus eris fratrem suum.*

**1.** — Nimirum scire nos Dominus voluit quo fine faciendâ sit a nobis correctio. S. Thomas, *in Matt.*, ait: « Si propter te ipsum corripis, nihil facis; si « propter Deum, tum valet. » Tunc enim Deus operam nostram remunerat, quando nos salutis illarum animarum zelos exhibemus, quas ipse sibi sanguine suo et vita pretiosa, caro scilicet pretio comparavit. Unde S. Jacobus Apostolus ait: *Qui converti fecerit peccatorem ab errore via suæ, liberat animam ejus a morte et operit multitudinem peccatorum.* « Per alterius salutem, » inquit Interlinearis, « salus tibi acquiritur. »

**2.** — Lucas Brugenensis ingens lucrum exacte pensitat sequentibus verbis: « Perierat frater « peccando et tibi, et sibi, et Deo, a quo factus « fuerat alienus; sibi, quia obnoxium se reddiderat « æternæ morti; tibi, cui se reddiderat inimicum; « amica hac tua correctione suavissime lucrificasti « eum Deo, cui per penitentiam reconciliatur; sibi, « quia salutis, vitæque æternæ jus recuperat, et per

« illius salutem tibi quoque salutem acquiris. » Demum vero ulterius dicit, quod tametsi Deo proprimi scilicet peccatores ad penitentiam reducere, efficaciter ut efficaciter respiciant, eidem tamen ad nostram utilitatem et gloriam nos singularissime hujus prerogativæ participes facere pie complacuit: « Quo tamen ad officium magis strenui sumus, suum nobis honorem transcribit Christus, « quod fratrem perditum lucrificamus, qui nihil « nisi externum correctionis ministerium adhibemus. »

**3.** — Ponderemus igitur quam chare Deo anima existat, quanti hæc illi constet, et postea consideremus quod non tantum unam, sed duas animas lucrificamus: nostram, quia ut S. Anselmus dicit: « Por alterius salutem, nobis quoque acquiritur « salus; » proximi quoque animam lucratur: *Lucratus eris fratrem tuum.* S. Gregorius ait: « Si « magnæ mercedis est eripere carnem a morte, « quanquam morituram, quanti est meriti a morte « animam liberare, in cælesti patria sine fine vicaturam? » Quot videmus extremis se periculis objicere, ut amicum quendam sive in puncto honoris et reputationis, sive vitæ defendat, idque faciunt sine ullo timore ad respecta mortis! at vero longe majus meritum nostrum erit, si quoad animæ salutem conservandam, que longe excellentius quid est, zelosus et fervidus nos esse probaverimus.

*Si te audierit.*

**4.** — Chrysostomus, *Hom. lxi in Math.*, ait: « Videlicet, si persuasus a te peccati se condemnarit. » Dionysius Carthusianus dicit: « Si tuæ « increpationi humiliter acquieverit »

*Si autem te non audierit, adhibe tecum, etc.*

**5.** — Interlinearis ait: « Si adhuc incorrigibilis « extiterit; sicut aspexit surda, » inquit David, et « obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium et venefici incantantis sapienter. » Multi sunt qui surdos se esse simulant, correctionesque a se penitus abjiciunt et repellunt, nec tamen ideo nobis a cura salutis ipsorum æternæ desistendum est, quia ut Lyranus observat, cum fama minus bonum sit quam bona vita et salutis animæ: « Si « non possit servari bona vita fratris, sine detrimento sue famæ, tum procedendum est ad salutem bonæ vitæ: cum aliquam læsionem suæ famæ; » ac proinde adhibendus est unus, vel duo ad summum, criminis ab eo commissi testes, isque in presentia illorum est reprehendus, et tunc si se non emendaverit, nulla tibi amplius bonæ famæ ipsius conservandæ cura esse debet, quia bona vita famæ longe prævalet.

**6.** — Dionysius Carthusianus verba illa: *Si te non audierit*, ita glossat: « Hoc est, si verba tua « contempserit, vel se excusaverit, vel id, quod

« fecit, bonum esse affirmaverit, non peccatum; » vel etiam secundum Albertum Magnum, si ad tuam notitiam pervenerit, quod correctionem tuam contempserit et hæc de te certus fuerit: « Si ad te « pervenerit certo judicio, quod te non audierit, et « hoc fit, nisi quando peccatum iterat, et hoc jam « in notitiam serpere incipit. » Lucas Brugenensis ait: « Peccatum impudenter defendens, aut excusans, vel certe in eo perseverans; nam qui factum perfricta fronte negarit, is, nisi testes suppetant, Dei judicio relinquendus est. »

**7.** — S. Bonaventura, *in Luc.*, modos nobis tradit, quos observare debemus, ut errans in viam salutis denuo reduci queat. Id enim fit, « primo « amore, quod fit quando recte monemur. Secundo « cundo pudore, quod fit cum testes adhibentur. « Tertio terrore, quod fit in facie Ecclesie. »

**8.** — Lucas Brugenensis qualitates eorum declarat, quos in nostram societatem adhibere debemus, nimirum « viros honoris Dei, fraternæque salutis « studiosos, quemadmodum junctum in foream « collapsum, si unus solus extrahere nequit, plurimæ res in auxilium advocantur. »

**9.** — Per duos hosce testes intelligere possumus Deum in celo et confessarium hic in terra, qui obtinet locum ipsius, coram quibus reprehenditur et judicandi sumus. Unde Augustinus super illa verba, *Psal. XLVIII, 12: Veritas de terra orta est, et justitia de celo prospexit*, ita scribit: « Confessio ab homine, homo enim peccator eras, o terra, qui « quando peccasti, audisti: *Terra es, et in terram « ibis;* oriatur de te veritas: si cum sis iniquus, dicis te iniquum, veritas de terra est. Quæ justitia de celo prospexit? tanquam Dei dicentis: Pœna « mus huic homini, quia ipse sibi non pepercit; « ignoscamus, quia ipse se agnoscit. »

#### VERSUS 17.

*Quodsi non audierit eos, dic Ecclesiæ; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.*

*Quodsi non audierit eos, dic Ecclesiæ.*

**1.** — S. Augustinus, *de correct. et grat.*, eos, qui de scandalis suis reprehendi nolunt, hisce verbis monet: « At quicumque corripit non vis, etiam « propterea corripiendus es, qui corripit non vis. »

**2.** — S. Hieronymus dicit quod is qui erravit, ad correctiones ejus, qui ex motivo charitatis eum corrigit, surdus extiterit, tunc corrector alium sibi in societatem adsciscat, cui si etiam veras attentas præbere detraxerit: « Adhibeatur et tertius, vel « corrigendus studio, vel conveniendi sui testibus; « porro si nec illos audire voluerit, tunc multis dicendum est, ut detestationi eum habeant, et qui « non potuit pudore salvari, salvetur approbris. »

In eundem quoque sensum S. Thomas consentit dicens : « *Die Ecclesie*, id est, toti multitudini ut confundatur, ut qui noluit sine confusione corripitur, cum confusione corripiatur; est enim confusio adducens peccatum, et est confusio adducens gratiam et gloriam. *Ecclesiast.*, iv, 23. »

3. — Cajetanus quoad sensum litteralem ait : « Appellatione *Ecclesie* Prelatus, qui ordinarius iudex est fratris impenitentis; » verbum autem *dic*, hoc sensu exponit, scilicet, « judicialiter denuncians, seu accusando et procedendo. »

*Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi, etc.*

4. — Hugo Cardinalis ordinem considerat quem in exequenda executione officii correctionis tenere debemus, ideoque dicit : « Primo debet revocari amore, et ideo primo singulariter admoneri debet; post timore, et ideo dicuntur adhiberi testes, quos timeat, et tandem pudore; et ideo ad ultimum dicitur: *videatur tanquam ethnicus.* » Simon de Cassia scribit : « Forum est desperanda salus, quibus est odiosa correctio. »

5. — Jansenius in hoc præcepto, sicut et in plerisque aliis potius intentionem, quam verba Christi attendendam esse existimat : « Intentio autem ejus hoc loco est, studiose tentandum modis quibuslibet aptioribus, ut vel frater peccans respiciat, vel si id impetrari non potest, a contagio ipsius alii præserventur. »

#### VERSUS 18.

*Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram erunt ligati et in celo, et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in celo.*

1. — Cajetanus super Mattheum, Christum hisce verbis illos perterrefacere voluisse existimat, qui se incorrigibiles esse ipso opere probat; ut non solum timeatur sententia Petri, sed quilibet sui Prælati, suaque Ecclesie sententiam timeat.

2. — S. Anselmus Christum hanc auctoritatem Apostolis delegasse scribit, ut sciant, qui a casibus condemnantur, humanam sententiam divinam sapientiam roborari, et quodcumque ligatum fuerit in terra, ligari pariter et in celo. Innocentius III, de clavibus Petro datus ita scribit : « Petrus ergo per claves acceptas et claudit, et aperit : claudit, cum ligat; aperit, cum absolvit. » *Job.*, xi, 4, dicit : *Si habes brachium sicut Deus, et simili voce tonas?* Id quod de sacerdote vere dici potest; sacerdos enim in danda absolute brachium elevans, se quasi omnipotentem, Deoque parem esse demonstrat, dum peccata remittit : *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* Sacerdos paucula verba proferendo, velut fulgura et tonitrus vibrans, censurarum sententias vibrat, obstinatisque et rebellibus Ecclesie celum claudit. Porro S. Bernardus,

*Serm. de S. Petro*, in laudem S. Petri memorabilem quandam scribit sententiam, quæ et illis adaptari congrue potest, in quos ipse suam transdidit auctoritatem : « Claves cœli tum singulariter accepit, ut præcedat sententia Petri sententiam cœli. » Id quod B. Petrus Damianus pariter asserit, dum ait : « Judicial Petrus et Petri judicia confirmat Omnipotens, et est in manu Petri manus Altissimi. »

3. — Postquam Salvator miraculum illud patrasset in paralytico, cui non solum corporis, sed et animæ salutem contulit, peccata ejus ei dimittendo, dicit sacer textus, *Matth.*, ix, 8, quod devotæ circumstantes turbæ glorificaverunt eum, qui dedit potestatem talem hominibus; siquidem iudicio illa sacerdotibus concessa ad condonandum et remittendum peccata, quoddam est Ecclesie beneficium quasi, ut ita dicam, infinitum. Et quidem quisquis doni hujus in sacramento penitentie excellentiam pro meritis considerare vult, prius statum animæ cujusdam in peccato constitutæ, cui irreparabiliter et in sempiternum clausum est cœlum et apertus infernus, consideret et inveniet, quod sicut peccator intra diabolicæ cujusdam servitutis jugum constrictus et ligatus hæret, ita ab unius duntaxat sacerdotis voce denno relaxatur : *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in celo.*

#### VERSUS 19.

*Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quæcumque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in cœlis est.*

*Si duo ex vobis consenserint super terram.*

1. — Christus hisce verbis preces et supplicationes eorum, qui per charitatis, amoris et pacis vinculum conjuncti inter se concorditer vivunt, omnino exaudiendas esse promittit. Porro Chrysostomus, *Hom. LXXI in Matt.*, hoc loco Christum hoc loquendi modo omnes a fidelibus suis discordias et dissensionem abigere et profligare voluisse dicit, eosdem ad unam voluntatem, et animorum conformitatem, non solum per minas et penas, verum etiam per donorum illorum, quorum charitas liberalis dispensatrix existit, promissionem reducendo : « Nam posteaquam contentions ex tremæ supplicia posuit, magna concordia præmia exponit, cum et a Patre, qui consensu et charitate conjuncti sunt, facile impetrent quod petunt, et ipsam Christum in medio sui possident. » S. Hilarius sollicitudinem, quam Christus in hac unione procuranda exhibuit, hisce verbis, *can. xviii in Mult.*, expendit : « In tantum humanæ pacis studuit concordie, ut unitatis merito omnia, quæ a Deo precanda sint, impetranda esse confirmet. »

2. — Porro quod hac promissione non obstante,

persæpe in nostris supplicationibus non exaudiamur, hujus Origenes hanc reddit rationem : « Quia consensimus nobis per omnia super terram, neque dogmate, neque conversatione; sicut enim in musicis, nisi sit convenientia vocum, non delectat audientem; sic in Ecclesia, nisi consensum habuerit, non delectatur Deus in ea, nec audit vocem eorum. »

3. — S. Paschasius ex hisce præmissis, et ex hac Christi præmissa sequentem deducit consequentiam : « Si duo vel tres bene sibi consentientes impetrare possunt fiducialius de omni re, quam secundum Jesum petierint in nomine ipsius a Patre, quanto magis ubi singulæ Ecclesie aut omnis Ecclesie rogat. »

4. — S. Cyprianus, *Epist. xviii*, aliud format argumentum, quod a predicto parum dissimile existit, dicit enim : « Quodsi duo unanimes tantum possunt, quid si unanimitas apud omnes esset. »

5. — Lyranus hæc verba de illis exponit, qui postquam inter se inimici fuerunt, demum ad invicem reconciliantur : « Scilicet offensam sibi invicem remittendo; de omni re quæcumque, etc., quia oratio non est accepta coram Deo, si teneat odium contra fratrem in animo. »

6. — Porro valde considerabile est illud vocabulum, *Si duo*. S. Thomas dicit : « *Si duo ex vobis*, quæ secundum Evangelium vivitis; » adducitque illum S. Jacobi, iv, 3, locum : *Petititis et non accipitis, eo quod male petatis*. Hanc quoque eandem observationem Euthymius in medium affert, dum ait : « Non simpliciter dixit : si duo consenserint, sed si duo ex vobis, hoc est, similes vobis virtutem colentes; » neque enim sufficit duos inter se unitos esse ad faciendum genus, nisi etiam uniti simus ad inflectendam voluntatem, perfecte nos Dei legi subjungendo, *Ps. Lxv, 18* : *Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus*. S. Hieronymus spirituales quandam sensum ex hisce verbis elicit dicens : « Possumus et hoc spiritualiter intelligere, quod ubi spiritus et anima, corpusque consensuerint, et non inter se bellum diversarum habuerint voluntatum, carne concupiscente adversus spiritum et spiritu adversus carnem, de omni re, quam petierint, impetrent a Patre, nullique dubium, quod honorum rerum postulatio sit, ubi corpus ea vult habere quæ spiritus. » Porro S. Joannes, i, iii, 21, quæ in re fiducia nostra, de omni re, quam a Deo petierimus impetranda, fundanda sit, hisce verbis optime declarat : *Quoniam si cor nostrum non reprehendit nos, fiduciam habemus ad Deum, ut quidquid petierimus, accipiamus ab eo*. Regius quoque David magnam in oratione, quam Deo offerebat, habebat fiduciam, sed quæ putas cum conditione? Prius nimirum dicebat : *Exaudi, Domine, justitiam meam*; et postea subjungit : *Intende deprecationem meam*. Etenim ad hoc, ut oratio nos

tra ad tribunal usque Altissimi penetrare possit, cœlos transeat necesse est; at vero audite quales illi S. Ambrosius alas assignet; hic enim super illa verba : *Appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo, Domine*, ita scribit : « Volare facit orationem bona vita, et dat alas precibus spirituales, quibus sanctorum ad Deum evehatur oratio. »

*De omni re, quæcumque petierint, fiet illis.*

7. — Enimvero qualiter hæc promissio intelligenda sit, Lyranus optime hunc in modum explicat : « Dum tamen illa oratio habeat condiciones, quæ ad hoc requiruntur, scilicet quod aliquis ore pro se pie et perseveranter; » quod optime consonat cum eo, quod Hugo Cardinalis dicit : « Si petierit pie, perseveranter pro se et ad salutem. »

8. — Cajetanus ait : « Fiet illis, non contra, vel præter illos, ut intelligas, non præmitti exauditionem, nisi secundum voluntatem petentium quam habere, si cuncta nosset, quæ Deus novit. Bonus enim Dominus negans quod volumus, et petimus, ut tribuat, quod mallems, si omnia videremus, quæ Deus videt. » Imo ipse quoque Seneca solo lumine naturali illustratus hanc nobis veritatem declarat, nimirum quod nonnunquam secundum petitionem nostram, licet non secundum petitionem exaudiamur : « Sunt quedam noctitura impetrantibus, quæ non dare, sed negare beneficium est; estimabimus itaque utilitatem potius, quam voluntatem petentium. »

9. — Cardinalis Cajetanus super illud *Si duo*, aliam quandam ponderationem habet : « Non dixit : *Si omnes*; ne de universali Ecclesia tantum intelligeretur; non dixit : *Si multi*, ne ad magnarum Ecclesiarum gratiam sermo restrictus videatur; sed dixit, *si duo*, ut etiam minimi numeri fidelium, quanta sit vis, explicetur. » Equid enim servus Dei facere et obtinere non potest? Legite *cap. v, 4, Jeremiae*, et in ejus principio Deum protestantem invenietis, et dicentem : *Circuite vius Jerusalem, et aspicietis, et considerate, et quærite in plateis ejus: an invenietis virum facientem iudicium, et querentem fidem, et propitius ero ei*. Ubi S. Hieronymus exclamat : « Grandis amor justitiæ! non pro decem justis, sicut olim dixerat ad Abraham, liberat civitatem; sed si invenierit unum tantum justum in Jerusalem, ignoscit toti civitati propter illum. »

10. — Deus olim vindictivæ justitiæ suæ ensem adversus infamem illam civitatem stringere et vibrare decreverat; at vero se decretum hoc exequi non posse protestabatur, quædam inde justus Loth nondum discesserat. Unde S. Hieronymus alibi ita scribit : « Qui dixit : *Dimitte me*, ostendit se teneri posse ne faciat quod minatus est, Dei enim potentiam servi preces impediabant. »

## VERSUS 20.

*Ubi enim sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.*

1. — Chrysostomus verba illa, in nomine meo, observat, si enim requiritur, ut hæc unio sit plurimum personarum, quæ in nomine et amore Dei, non vero propter fines et lucra temporalia, prout communiter contingit, congregatæ existant: « Si quis principaliter propter me, charitate proximo conjungitur, cum eo ipse sum, si ad hoc virtutis etiam opus adjecerit; » at vero pauci sunt, inquit S. hic Doctor, qui ab hoc fine moventur, alios namque respectus in ipsorum amicitias ut plurimum invenimus: « Nam alius amat, quia redamatur; alius, quia utilitati sibi esse aut fore hominem punit; Christi vero causa difficillime quomquam invenies, qui amicum ut oportet diligit; sed omnes fere sæcularium vinculo rerum inter se vincuntur. »

2. — Hugo Cardinalis quoque distinctionem illam, quam sapientissimus Magister noster verbis illis: *Congregati in nomine meo*, innuit, considerat; siquidem experientia teste videmus, quod multi quidem uniantur ad malum, pauci vero ad virtutem operandum: « Sunt congregati, » inquit, « sed non in nomine Domini, quorum consensus in fraudibus, in malitia, in vanitate, in augendis divitiis, in cubilibus et impudiciis, et injuriis suis ulciscendis. » Ex alia vero parte quoque quædam illi sint, qui in nomine ejus congregati sunt, declarat: « In nomine Domini congregati sunt, qui ipsius gloriam emulantur, ipsius spiritu fervent, ipsum in omnibus et per omnia fidei oculis et mundo corde non desinant intueri. »

3. — Jansenius multo specialius, qualiter hæc Christi, in hac plurimum simul facta congregatione, assistentia, intelligenda sit, declarat his verbis: « Non solum propter præsentiam suæ divinitatis, a secundum quam ubique est, sed magis ratione specialis suæ gratiæ et assistentiæ, quia illorum orationes Deo Patris factæ acceptas, tanquam a se simul fusas, aut eas ipsemet acceptat et adimplet. » His ergo sententiis dupliciter commendat fraternam concordiam, tum scilicet propter ipsius impetrandi vim apud Deum Patrem, tum quod illa singulari suæ præsentia sit decorata. Unde evidenter deducitur, quanti æstimandæ sint Synodi et Concilia generalia pro fidei stabilimento, bonorumque morum et disciplinæ Ecclesiæ propagatione congregata et celebrata.

4. — Lucas Brugenis hinc quoque efficaciter arguit, illarum efficaciam et virtutem orationum, quæ a pluribus fidelibus simul congregatis passim effunduntur: « Multo magis » inquit « si duo vel tria milia, aut Ecclesia universa; promissionem de paucis extulit, ut doceret, quam probet nos in

« ipso conspirare et convenire, etiamsi minime numero simus; gratius ergo ipsi est, si plurimi inter nos in ipso conspiremus; » ac proinde in tribulationibus, urgentioribus Christianitatis necessitatibus celebrantur processiones, orationes instituantur solennes, sicutque publicæ orationes, etc., quia ut Chrysostomus, *Hom. II in II ad Cor.*, scribit: « Deus frequenter reveretur multitudinem unanimem et consentientem in precando, ut velut pudore victus, non audeat illis denegare. » Id quod præfatus sanctus Doctor de Ninivitis loquens scribit, qui tametsi sceleratissimi idololatæ essent, atque sententiam condemnatorum contra se a divino consistorio latam audivissent a Jona dicente: *Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur*; nihilominus ad orationem faciendam simul congregatis, divine justitiæ flagellum jam illorum cervicibus imminens a se repulerunt. Similiter civitas Bethulia cœlesti se auxilio et subsidio destitutam esse timere haud immerito poterat, quando se ab Holofernis exercitu ad tantas vidit redactam esse angustias; quæ igitur ratione assistentiam et protectionem Allissimi sibi tandem compararunt? *Unanimis preces suas Domino effuderunt; clamaverunt ad Dominum Deum Israel unanimiter*; qui proinde generosa illi virgini Judith pectus et cor heroicum suggestit, ut facinus illud adeo generosum, sexumque debiliorem longe transcendens explere et feliciter exequi praverat. Quando Heliodorus ad templum sanctum Hierosolymitanum totaliter deprecandum in prociectu erat, videri quidem poterat, quod ad illius violentiam reprimendam summi Pontificis Oniæ, aliorumque Sacerdotum, qui vestibus sacerdotibus præcincti accurrebant, meritum sufficere potuisset et tamen Spiritus Sanctus, quantum oratio publica facere prævaleat ostendere volens, dicit: *Gregem de domibus concurrebant, publica supplicatione obsecrantes*; unde protinus subsecutum fuit pessimi illius sacrilegi Regis severissimum supplicium; nam *Spiritus omnipotentis Dei magnum fecit suæ ostensionis evidentiæ*. Unde Chrysostomus, *Hom. II de incompr. Dei nativ.*, tale facit argumentum: « Si omnis oratio tantam vim habet, longe magis eam, quæ ex ore multorum provenit, valere consentaneum est; plus enim nervorum in ea est et audientia major, quam in domestica illa et privata; inter homines populo petente, Rex multitudine motus sententiam contra reos deponit, multo magis Rex cœlestis. » Sancta Mater Ecclesia orationi illi, quæ in Missa et Officio divino dicitur, nomen Collectæ indidit, ad denotandum, orationem divine Majestatis acceptissimam esse illam, quæ a plurimis simul congregatis ad Deum effunditur. Unde Chrysostomus ait: « Multa oratio ferventior fit et exaudibilior. » Idem quoque multas valde proficuas condiciones in illis observat, qui in Ecclesia simul congregati Deum

orant: « Concordia, conspiratio, copula amoris et charitatis, sacerdotum clamores; præsentem etiam eam ob rem sacerdotes, ut populi orationes, quæ per se infirmiores sunt, validiores illas complexæ simul in cœlum evehantur. » Die sodes, quando nam Spiritus Sanctus primitus cum tanta coelestium thesaurorum plenitudine super Ecclesiam infusus fuit? *Act. II, 10: Erant omnes pariter in eodem loco*, id est, quando omnes primi fideles ad orationem faciendam congregati erant, *Act. I, 14: Erant perseverantes unanimiter in oratione*. Optime igitur, *Sera. de septem don.*, S. Bernardinus ait: « Scimus quod concordia ad proximum, seu fraternum collegium cum vacatione attentæ orationis ad Deum, integra dispositio sunt ad Spiritus Sancti cumulatam donum. »

5. — Theophylactus, in *Math.*, ingeniose observat, Christum non fuisse locutum in tempore futuro, dicendo, futurus sum, vel ero in medio eorum; sed in tempore præsentis, *ibi sum in medio eorum*, qui scilicet in nomine meo congregati erunt: « Non dixit autem: *Ero*, non enim tardat, vel cunctatur, sed hoc *sum*, id est, jam illic invenior. »

6. — Cajetanus querit, unde hujus orationis efficacia et valor derivetur, cui impetratio promittitur omnium illorum quæ postulat? et respondet: « Ratio tantæ efficaciam in unanimitate orantium redditur, præsentia ipsius Jesu in medio talium est, ita quod ipsi jam non ipsi petunt, sed ego in ipsis peto, » nam ut Apostolus, *Rom., VIII, 26*, testatur: *Ipsæ Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*.

7. — Dionysius Carthusianus pulchre declarat, in quam hæc Salvatoris præsentia specialissime consistat, dicit enim: « *Ibi sum in medio eorum*, id est, inter eos, atque in cordibus singulorum per Spiritus Sancti directionem, piam gubernationem et precum illarum gloriosam exauditionem. »

8. — Lucas Brugenis eximium illud beneficium, quod nobis ex præsentia Salvatoris promittitur, optime examinat, dicens: « Hoc quam inestimabile sit bonum, Christum in negotiis omnibus habere præsentem, qui preces, consilia et eventus benedicat, non leve stimulum nobis addere debet, ut tam reverenter quam libenter conveniamus ad publicas preces. »

9. — Bene lamen advertendum est illud Ennodii monitum dicentis: « Regnat autem Christus in numero vestro, qui sibi non tam in multitudine, quam in devotione complacuit. » Etenim unio hæc pro vinculo et motivo, charitatem, devotionem et spiritum habere debet; neque enim Deus tam numerum quam congregatorum æstimat pietatem.

10. — Chrysostomus, *Hom. VIII, ad Rom.*, querit: « Quis ita miser est, ut nolit Christum ipsum medium habere? Certe nos illi sumus, qui mutuis

« inter nos substitutionibus conflictamur. » De Christo autem scribitur: *Factus est in pace locus ejus*.

11. — Ingentis profecto consolatio motivum nobis esse debet, quando in Ecclesia, in oratoribus, vel aliis sacris congregationibus orationes nostras ad Deum fundimus, quod Christum nobis promississe sciamus, quod in medio nostrum esse et quarumlibet rerum petitionibus et postulationibus, quas ab æterno ejus Patre requisierimus, annuere libens et subscribere velit; at vero alia ex parte ingentem profecto in cordibus nostris reverentiam et devotionem concipere debemus ex eo, quod Dei Filium nobis præsentem esse certo sciamus. Idem namque Deus dixit: *Ibi sum in medio vestri*, de quo Ecclesia canit: « Quem laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates. »

## VERSUS 21.

*Tunc accedens Petrus ad eum dixit: Domine, quoties peccabit in me frater meus et dimittam ei? usque septies?*

1. — Dionysius Carthusianus considerat, quod ex quo Redemptor noster charitativum modum præscripserat, observandum in correctione proximorum errantium, eorumque qui nos graviter offenderunt, qui fructuose adimpleri non potest, nisi unus alter ex corde remiserit, ideo Petrus protinus, quanto excelsiorem conditionem vasalli et subditi S. Petri in ejus tribunali habeant, siquidem

« correat pœnitentia, quoties ei dimitteretur et visum est ei satis sufficere septenam dimissionem et ideo querit, utrum dimittet usque septies? » Petrus gerit hic personam Ecclesiæ et dicit: Si frater meus peccaverit in me, id est, Ecclesiam, dimittam ei, etc. Rationabile utique causam Petrus habuit instituendi hanc interrogationem; siquidem verum quidem est, quod in terrenis hæc tribunalibus delicta nonnunquam dimittantur et condonantur, sed prima tantum vice, secunda autem vice rarius, nam recidiviones peccatorum sine intermissione puniuntur; et ideo evidenter patet, quanto excellentiorem conditionem vasalli et subditi S. Petri in ejus tribunali habeant, siquidem Christus sine ulla dilatione respondit.

## VERSUS 22.

*Dicit illi Jesus: Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies.*

1. — S. Anselmus verba hæc de qualibet transgressione exponit: « Præcepit ergo dimittere septies septies, id est, universam transgressionem. » In iudicis Principum temporalium omnia crimina non dimittuntur, quia delicta læsæ majestatis in primo capite a parentibus usque in propriis filios

vindicantur, tametsi illi statum et dominiorum ipsorum unice etiam essent heredes? præterquam quod quando excessus aliqui execrabiles et enormes dimittuntur, nunquam tamen illorum absolutio aut venia conceditur, quando crimina illa et specie et numero multa esse deprehendantur; non vero ita fit in Ecclesie tribunal: *Dicit illi Jesus*, id est, infallibile illud cœli oraculum, æterna et prima Veritas, Pater misericordiarum præcipit, decernit et imperat: *Non dico tibi usque septies, sed, etc.*, id est, universam transgressionem. S. Thomas ait: « Non septies, sed septuaginta vicibus; vel potest teneri multiplicative, ita quod septem vicibus septuaginta; vel potest dici, quod pontur numerus finitus pro infinito. Universitas peccatorum significatur, quasi dicat: Omnia quæcumque peccaverit, dimitte ei; » adducitque auctoritatem quamdam S. Hieronymi dicens: « Videtur quod velit dicere, quod plus remittere potest, quam alter possit offendere. » S. Justinus martyr ait: « Hanc constituit in mundo probum peccatorum medicum, videlicet pœnitentiam, quæ potest iis etiam mederi, qui septuagies septies delinquerint. » Albertus Magnus infinitam in hisce verbis admiratur Dei nostri pietatem et misericordiam, qui Petro et omnibus aliis ministris suis præcipit, ut omnes iniquitates condonet: « Sensus est, quod in omni transgressionem et omni inobedientia, et omni plenitudine et vitiorum, et omni tempore delinquenti omnia sit paratus dimittere, et sic nullus terminus ponitur misericordie infinitæ; » adducitque locum illum *Ezech.*, xviii, 22: *Quocumque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum suarum non recordabor*. Expressius vero, et significantius, præ aliis hac de re ita scribit Chrysostomus, *Hom. lxxi in Matth.*: « Qua quidem oratione nullum numerum posuit, sed indefinite, continue ac semper significavit. »

2. — S. Hilarius, *com. xviii in Matth.*, argumentum quoddam format pro particularium offensarum remissione, quo vindicativos fortiter stringit: « Qua utique venia assiduitas docet, nullum omnium omnino penes nos iræ tempus esse oportere, et cum omnium omnino peccaminum veniam Deus nobis suo potius munere, quam nostro merito

« largiatur; neque enim fas est, nos ex præscriptio legis dandæ veniæ numero concludi, cum per Evangelii gratiam sine modo nobis a Domino fuerit indulta. » S. Augustinus quoque, *Serm. xvi de ver. Dom.*, similiter discurret: « Si Christus millia peccatorum invenit et tamen omnia donavit, noli subducere misericordiam; ait enim Apostolus, *Coloss.*, ii, 13: *Donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam sicut Deus in Christo donavit vobis.* » Porro S. Petrus numeri septenarii meminit, quia ad illa Sapientis verba, *Prov.*, xxi, 16, respexit: *Septies enim cadit justus et resurget*; at vero is eo tempore locum illum non satis penetrabat, neque enim sensus illius est, quod septies in vita cadit justus et resurget, sed septies quolibet die justus Deum offendat, licet, dummodo is respiscat, Deus nobis remittit offensam et condonat, ac proinde Dei Filium audiens se interrogari, an septies tantum in vita proximo nostro remittendum esset, respondit: *Non dico tibi usque septies, etc.* Unde Dionysius Carthusianus ait: « Id est, toties quoties te offendit, nam toties oportet proximo in nos peccanti remittere, quoties volumus nobis peccantibus a Deo ignosci, a quo utique volumus nobis indesinenter ignosci, quotiescumque peccamus, aliter non possumus dicere: *Dimitte nobis debita nostra, sicut nos dimittimus debitoribus nostris.* »

3. — Possumus quoque hoc loco considerare differentiam, quæ est inter Deum et hominem in ordine ad remittendum injurias, et illam quæ inter unum hominem et alterum, qui sibi invicem nolunt dimittere. In *Ose.*, ii, 9, de Deo nostro scribitur: *Non faciam favorem iræ meæ ut disperdam Ephraim*; et rationem hujus protinus subdit, dum ait: *Deus ego et non homo*. Quis enim est inter homines, qui cum ab aliquo decies, centies et milies in uno die ab alio offensus et injuria affectus sit, eidem semper perfecte condonet, et eum in gratiam suam dono recipiat, prout Deus nobiscum facit, dum se semper erga nos magis magisque benevolam et in concedendis gratis suis copiosiore ostendit: *Ubi abundavit delictum superabundavit gratia*. *Rom.*, v, 20.

## FERIA QUARTA POST TERTIAM DOMINICAM QUADRAGESIMÆ

EVANGELIUM MATTHÆI, CAP. XV, VERS. 1

1. Accesserunt ad eum ab Hierosolymis Scribæ et Pharisei, dicentes:
2. Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum? non enim lavant manus suas cum panem manducant.
3. Ipse autem respondens ait illis: Quare et vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?
4. Nam Deus dixit: Honora patrem et matrem, et qui maledixerit patri vel matri, morte morietur.
5. Vos autem dicitis, quicumque dixerit patri vel matri, munus quodcumque est ex me, tibi proderit.
6. Et non honorificabit patrem suum, et irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.
7. Hypocrite, bene prophetavit de vobis Isaias dicens:
8. Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.
9. Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas et mandata hominum.
10. Et convocatis ad se turbis dixit eis: Audite, et intelligite.
11. Non quod intrat in os, coinquinat hominem, sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem.
12. Tunc accedentes discipuli ejus dixerunt ei: Scis, quia Pharisei audito verbo hoc scandalizati sunt?
13. At ille respondens ait: Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur.
14. Sinite illos, cæci sunt, et duces cæcorum: cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.
15. Respondens autem Petrus dixit ei: Edissere nobis parabolam istam.
16. At ille dixit: Adhuc et vos sine intellectu estis.
17. Non intelligitis, quia omne quod in os intrat, in ventrem vadit et in secessum emittitur?
18. Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, et ea coinquinant hominem.
19. De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furtiva, falsa testimonia, blasphemie.
20. Hæc sunt quæ coinquinant hominem, non lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem.

peccatum adventus ipsorum finem detexit, dum ait: « Non ad discendum, sed ad reprehendendum Dominum venerant. »

Ab Hierosolymis.

2. — Tametsi Scribæ et Pharisei per omnes Judææ civitates dispersi essent, illi tamen, qui Hierosolymis morabantur, arbitri erant religionis et ad illos omnes ex omni parte concurrebant, ut circa cultum divinum, ritus sacros, doctrinam et legem Mosaicam submata dubia deciderent et determinarent. Unde Lucas Brugensis ait: « Hi doctrinæ et religionis totius obtinebant arcem et inquisitio-

VERSUS 1.

Accesserunt ad eum ab Hierosolymis Scribæ et Pharisei, dicentes.

Accesserunt ad eum.

1. — Salvator noster in Galilæa morabatur et ideo Scribæ et Pharisei ex Judææ metropoli Hierosolyma abierunt ad illum: « Non ut discant, » inquit Jansenius, *cap. ix concord.*, « sed ut calumnientur eum, quem jam audierant tanto vulgi favore accipi et predicari. » S. Remigius quoque